



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Ioannis Cochläei De Actis Et Scriptis Martini Lvtheri Saxonis

Cochlaeus, Johannes

Parisiis, 1565

Acta & scripta Lutheri, Anno Domini M. D. XLII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29789

transmissa, illic circumferebantur, nempe
de peccato Originali, & 21. de fide iustifican-
Perditis tandem frustra tot pro concordia
diis, laboribusque & impensis, summa cum
temporis iactura: Cæsar, dato Recessu Imperia-
lis, exiens in fine mensis Iulij, per Italiã pro-
fectus, pulcherrima instructa classe, contra Al-
gerum expeditione fecit, transfretans in Aphri-
cam mense Octobri, vbi grane passus est nau-
fragium. Meliora enim nauigandi tempora per-
siderat Ratisponæ per infructuosum illud Col-
loquium: Quod ipse quidem optima intentio-
ne & syncerissima mente instituit, sed aduersa-
rij dolis omnia peruertere satagunt.

Recessus.

*Acta & scripta Luthe-
ri, Anno Domini
M. D. XLII.*

Hoc anno bini sunt celebrati per Re- *Duo Cœtus*
gem Rom. absente Cæsare, Conuen- *Imperiales.*
tus Imperiales. Vnus Spira, cuius Re-
cessus datus est XI. die Aprilis: Alter Nuren-
bergæ, cuius Recessus datus est XXVI. die
Augusti. In vtroque autem præcipue tractatum
est de expeditione contra Turcas, quæ hoc an-
no facta est in Austria. Ad quam sane constitu-
tus fuit supremus Christiani Exercitus Capita-
neus, Illustriss. Princeps Elector Ioachim, Mar-
chio Brandenburgensis, Generali per totum Im-
perium

Nn iij

perium indicta contributione. Verum tamen, neq; hoc anno, neq; anno superiore, dum Ratisponæ haberetur Conuentus, prospere celsit circa Budam & Pestum expeditio, licet maximus fuerit, hoc præfertim anno, belli apparatus. Cæterum in causa religionis bene longum ædidit hoc anno librum Clariss. Theologus D. Io. Eckius, quem inscripsit Apologiam pro Catholicis, aduersus calumnias Buceri, super actis comitorum Ratisponæ. In eo igitur libro primum ostendit, longe plures & maiores articulos controuersos, non esse conciliatos aut concordatos per Colloquium illud, quàm sunt ij, quos conciliatos dicit Bucerus. Deinde per multas & varias annotationes declarat, quicquid in libro, qui Collocutoribus propositus fuerat, reprehensione dignum sit, in quolibet libri capitulo: sunt autè libri cap. XXIII. Postea reprobat multos errores Lutheranorum, qui habentur in IX. scriptis eorum, quæ per litteras A. B. C. & c. signauerant. Item, ad longum per XXI. puncta reuelit cavillos & calumnias Buceri, quas ædidit contra Responsum Catholicorum Principum & Statuum, de libro Colloquij Cæsari datum, Item defendit etiã Card. Contareni Legati Responfa & declarationes, quas Bucerus calumniose suggillauit. Reprehendit vero Responsum, quod à Protestantibus Cæsari, de articulis conciliatis & non conciliatis, datum fuit. Si maledicentia (inquit) Bucerum imitari vellem, non deesse, qua

*Reprehensio
responsi Prin-
cipum Luth.*

Annorationem (iustiori & meliori causa)
 sic responso affigerem. At quia maledici re-
 sponsum Dei non possidebunt, nolo Nobilissi-
 mos Principes & Status Protestantium offen-
 dere, suspiciens in eis donum à Deo datum:
 quia omnis potestas à Deo est. Et quia ex se
 Principes ista non habet, sed spiraculū, nō vite,
 sed mortis suggerit illis, quæ cum fide Ortho-
 doxa non conueniunt. Nam desertores Eccle-
 siæ, Apostatae, grex Epicuri, Prædicatores hæ-
 retici, & schismatici, excellentissimos Princi-
 pes istos & Status, Deo permittente, lethali
 poculo aliò trahunt. Non deesset amplissimus
 campus versandi, quod tam anxie petunt su-
 tholli Recessum Augustanum, ac si diuus Au-
 gustus noster CAROLVS, à Deo corona-
 tus, cum tot Catholicis Principibus (qui suæ
 Maiestati fidem dederunt, de conseruando re-
 cesso isto) sint muliercularum more instabiles
 & inconstantes, modo velint, modo nolint:
 Sed stat sententia, cum sede Apostolica, tum
 Imperiali & Regia Maiestate perseuerare. O
 quam egregie dicebat Dux Georgius Saxo,
 Beatæ memoriæ Princeps, Nescire Næochri-
 stianos hodie, quidnam futuro anno credituri
 sint. Hæc & id genus multa in Bucerus Eckius.
 Eodem quoque anno scripsit in eundem Bu-
 cerum D. Albertus Fighius Campensis iu-
 dem Apologiam: In cuius præfatione inter
 cætera sic ait. Quamquam Bucerus mul-
 tas in me Dei dotes agnoscat & prædi-
 Nn iiij

*Albertus
 Fighius con-
 tra Bucerus.*

cet. Excellēti enim doctrina, & si quem altum,
 in excutiendis quæstionibus Methodicum, &
 in tractandis rebus disertum facit, & deplorat
 ingenium tantum, tamque præclare & natum
 & disciplinis excultum: Contra tamen, apertis,
 impudentibus, atque intolerandis me conuictis
 flagellat, nunc sophistam, nunc calumniatorem
 faciens. Hæc ille in præfatione. In ipso au-
 tem libro, de multis Bucerum & Lutherum re-
 præhendens, Erasmus quoque alicubi cõiun-
 git eisdem. Verbi gratia, de operibus pœnitenti-
 æ, quæ fecerunt Niniuitæ, ad placandum sibi
 Deum, sic ait. Quid ergo de his dicturi sunt
 Certe secundum Erasmi illud axioma, Deo hæc
 eorum opera placere non poterant, vt quæ præ-
 ter eius præceptum vltro assumpta, non eo spe-
 ctabant, vt proximo per ea commodaretur. Se-
 cundum aduersariorum vero doctrinam, quam
 in Confessione suæ fidei atque eius Apologia
 publicè asserunt, atrociori etiam censura per-
 celluntur. Neque enim solum ingrata Deo, &
 illis qui ea fecerunt inutilia, sed etiam pernicio-
 sa, impia, à Demoniorum doctrinis introduc-
 ta fuerunt: quia facta ad placandum Deum, ad eius
 impetrandam gratiam, promerendamque mis-
 ricordiam. Et quid diuina scriptura? Vidit, in-
 quit, Deus opera eorum: quia conuersi sunt à
 via sua mala, & misertus est super malitia, quæ
 locutus fuerat, vt faceret eis. An hic non vides
 diuersissimum Dei ab Erasmo & Lutheranis iu-
 dicium.

*Opera pœnitē-
 tiæ Niniuitæ
 rum.*

dicium? Hæc & id genus multa Pighius.

*Acta & scripta Lutheri,
Anno Domini
M.D.XLIII.*

*Conuentus
Imperialis.*

Mo anno rursus Nurenbergæ, absente adhuc Cæsare in Hispaniis, per Regem Rom. habitus est Cōuentus Imperialis, à mense Ianuario vsque ad Aprilem: Cuius Re-cessus factus ac publicatus fuit die XXII. Aprilis. Adiuncti fuerunt Regiæ Maiestati ad id negocij Tres Commissarij à Cæsarea Maiestate, vt pote Christophorus Episcopus Augustensis, Fridericus Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ, & Ioannes de Nauis: Quorum primus in illo conuentu Nurenbergæ obdormiuit in Domino. Tractatum est autem & ibi præcipue de ratione belli, aduersus Turcas gerendi, deq; præsidij subsidiisque & contributionibus in tempore constituendis. De causa vero religionis, nihil aliud constitui commode potuit, nisi vt publica pax vtinque seruetur, ne religionis, prætextu vlli inferatur vis, aut iniuria.

Fuit eodem anno indictum à summo Pontifice Generale Concilium ad Ciuitatem Tridentinam, quo Tres misit Cardinales Legatos. Quoniam vero propter bella, quæ inter poten-

*Concilium indi-
ctum & sus-
pensum.*